

- 51 Non est irregularis, qui accusavit de levi, licet postea fuerim testes ad mortem.
- 52 Qui accusat propter obligationem, ex precepto naturali, etiam sine protestatione, non fit irregularis, & n. 53.
- 54 Non est irregularis, qui accusat de damno inferendo.

50. **P**rimus est, quando crimen adeo est leve, ut non videatur dignum morte, aut mutilatione, & tamen iudex pro sua malitia, aut ignorantia Reum condemnat ad mortem, tunc non accusator, sed iudex censetur causa efficax mortis, & inde accusator licet omiserit protestationem non fit irregularis. M. Cornejo. *tract. de irregular. disp. 11. dub. 11. Lezana verb. Accusare, num. 29.*

51. Secundus casus est, quando qui accusavit reum de levi crimine, tamen postquam reus detentus est in carcere, accesserunt accusatores aliorum criminum propter quos reus ad mortem damnatus est, & ratio est, quia mors non videtur imputanda propter ipsi accusatori, etiam si protestationem omiserit. Ita Sayrus *lib. 6. cap. 18. num. 6.* Ugolin. *cap. 6. §. 4. M. Cornejo proximo citatus*, Covarr. Henriquez, Avila, quos citat, ac sequitur Bonacina *disp. 7. de irregularitate, quest. 3. punct. 2. num. 7. §. Secundus.* Quod maxime procedit quando non praevidetur illud periculum; at verò si praevisum fuerit protestatio facienda est.

52. Tertius casus est, quod eximitur ab irregularitate Ecclesiasticus, seu Religiosus, quando accusat apud iudicem quemcumque propter obligationem, quam habet ex charitate vel iustitia, verbi gratia, si accusat volentem prodere Rempublicam, aut occidere innocentem; Canones enim non supponunt irregularitatem ob obligationem debitam ex precepto naturali, vel divino charitatis, iustitiae, vel alterius virtutis, quod maxime est verum, quando damnum imminens alio modo non potest impediri, ac proinde hic casus non videtur comprehensus, *cap. Prælati, de homicidio, in 6. Suarez disp. 47. sect. 2. n. 15.*

53. An verò adhuc in hoc casu facienda sit protestatio? Affirmat Sanchez *tom. 2. consil. lib. 6. cap. 2. dub. 10.* Dispositio juris ad hos casus se extendit, sed quod talis protestatio in hoc casu non sit necessaria, mihi videtur verius, quia nulla potest esse irregularitas in his adimplendis ad quos tenetur homo ex precepto divino, & naturali. Ita M. Cornejo *de irregularitate disp. 11. dub. 1.* Layman, *lib. 3. de iust. tract. 3. part. 3. cap. 7. assert. 5. num. 6.* M. Lezana *verb. Accusare num. 21.* cum Molina, Avila, & aliis.

54. Quartus casus est, quando quis accusat non de injuria illata extraneis, sed inferenda, & praevidenda, quae aliter caveri non potest nisi accusando, ac denunciando, si quidem non est æquum, ut persona Ecclesiastica damnum patiatur, eo quod præstat quod ad id tenetur ex iure naturæ, quod sine dubio est magnum inconveniens ad quod evitandum, dicendum est istum casum non comprehendi, *cap. 2. de homicidio, in 6. ita Bonacina citatus, num. 7.* Pellizar, *tract. 7. cap. 5. sect. 4. num. 184.*

Cornejo. Lezana.

Sayrus. Ugolin. Covarr. Henriq. Avila. Bonacina.

C. Prælati. Suar.

Sanchez.

Cornejo. Layman. Molina. Avila.

C. 2. de homicidio. Bonacina. Pellizar.

QUÆSTIO XIII.

Utrum Religiosus omittens protestationem ex oblivione in causa criminis incurrat irregularitatem?

SUMMARIUM.

55 Communis sententia affirmativa.

**R**espondetur incurrere irregularitatem; ita Sayrus 6. *cap. 19. num. 5.* Bonac. *num. 8.* nam quamvis in eo casu ista irregularitas non sit ex delicto, quæ necessarid supponere debet peccatum; est tamen ex defectu lenitatis, quæ contrahitur etiam sine culpa contrahentis: Ut verbi gratia, iudex sæcularis condemnans ad mortem.

55. Sayrus. Bonacina.

QUÆSTIO XIV.

An regulares incurrant irregularitatem accusando in causa criminis coram iudice sæculari, cum aliud detur medium ad evitandum damnum.

SUMMARIUM.

56 In causa propria liberè possunt accusare, non autem in aliena causa, & n. 57.

**C**ommunis est responsio cum distinctione; vel Regularis accusat in causa propria, & sic, facta protestatione, potest liberè accusare, sive alia via possit res suas recuperare, aut suum damnum impedire, sive non; in tali enim sua causa, id non solum licet iure naturali defensionis, sed etiam speciali iure positivo, *cap. 2. de homicidio, in 6.* Ubi Ecclesiasticis datur facultas conquerendi de suis malefactoribus coram iudice sæculari, & talis facultas est libera, & non restricta, verbi gratia: dummodo aliud non detur medium, quod nullo modo dicitur; & ideo tali via potest Ecclesiasticus licitè uti.

56.

C. 2. de homicidio.

At verò si Regularis accusat in causa aliena, & in ordine ad effugiendam irregularitatem, id non possunt facere, nisi quando aliter præveniri, ac præcaveri non potest damnum, aut periculum imminens, cum in tali casu accusatio solum concedatur iure naturali defensionis innocentis, quæ tamen non habet locum, ubi alia via averti potest malum imminens, Suarez *tom. 5. ad 3. part. disput. 47. sectione 2. num. 16.* Filliucius *tom. 1. tract. 19. num. 149.*

57.

Suarez. Filliucius.

QUÆSTIO XV.

An si totus conventus constituat procuratorem ad accusandum, secuta morte, sint omnes irregulares?

SUMMARIUM.

58 Qui fecerunt accusationem sine protestatione sunt irregulares, non verò alii.

58.

Panorm. C. Dilectus. Ugolin. Bonacina.

**C**um distinctione respondendum est in hac re. Si accusatio facta sit absque debita protestatione, & singuli Religiosi talis monasterii consensum præbuerunt in constituendo tali procuratore, seu syndico ad accusandum coram iudice sæculari, & mors, seu mutilatio inde sequatur accusato, & omnes manent irregulares; At verò si omnes non consenserunt, tunc quippe irregulares sunt tantum, qui supradicto modo assensum præbuerunt, si quidem monasterium, ut tale, cum non sit persona realis, sed ficta, non est capax ordinis & consequenter neque irregularitatis nisi in suis membris. Ita cum Panorm. *cap. Dilectus, l. n. 11.* Ugolino *de irregularitate, cap. 10. Bonacio. disp. 7. punct. 2. num. 13.*

QUÆSTIO XVI.

An totus conventus possit accusari, ac criminaliter puniri?

SUMMARIUM.

59 Si universitas collegii delinquit, castiganda.  
60 Quomodo totum collegium castigandum.

59.

Abbas.

Clarus.

60.

Pellizar.

**S**i omnes delinquant, qui sunt in conventu, præmissa publici consilii convocatione ac deliberatione, tunc totus conventus secundum omnes suos Religiosos potest accusari, ac puniri. Ita Abbas *cap. dilectus, & 2. nu. 13.* de Simon. ex communi sententia & alii quos citat, ac sequitur Clarus *lib. 5. §. sin. pract. quest. 16.* Monens, quod si omnes de collegio non sunt delinquentes, matura deliberatione, tunc non punietur totum collegium; sed tantum illi qui criminose deliquerunt tanquam singuli, & particulares.

Quomodo autem universitas, quæ delinquit, puniri possit; explicat ipse Clarus, modo adimendo abrogando ejus privilegia, juraque illius impediendo quoad solutionem, modo ejus bona publicando, modo etiam imponendo multam pecuniariam. Ita etiam Pellizarus *tract. 9. cap. 4. sectione 2. numer. 83. §. Nota tamen.*

QUÆSTIO XVII.

Religiosi non possunt accusari à laicis, vel à Religiosis alterius Ordinis.

SUMMARIUM.

61 Non possunt conveniri nisi dum suam injuriam tueantur.  
62 Iudex & accusantes excommunicantur à Leone X.

61.

C. De ceter. Emman. Rodrig. Alderete. M. Lezana. Hier. Rodrig. Soto.

62.

Leo X.

Confetr.

**C**onclusio est communis, & vera, quod non possunt accusari nisi in casu, quod suam, vel suorum injuriam protequantur, *cap. De cetero, de testibus*; Ita Emmanuel Rodrig. *tom. 2. quest. 7. art. 7.* Alderete *lib. 1. de Religiosa disciplin. cap. 4. numer. 7.* M. Lezana *tom. 1. cap. 27. num. 25.* Hieron. Rodrig. *Resol. 41. n. 7.* Soto *de secreto, membr. 2. quest. 5. concl. 3.*

Imò tam accusantes, quam iudices talem accusationem recipientes incurrunt excommunicationem latam à Leone X. in favorem Prædicatorum, contra omnes qui Religiosos ejusdem ordinis adducunt coram iudice extraneo; ipso etiam iudice talia admittente comprehenso; vide Confetrarium *in compendio Bullarum Leon. X. tit. 6. cap. 1.*

Et ratio est; quia accusator, & accusans debent esse ejusdem fori, ad hoc, ut si accusator deficiens non probet delictum ab eodem iudice puniantur, quod minime fieri potest, si accusator non est subiectus iudici, coram quo facta est accusatio.

QUÆSTIO XVIII.

An Prælati teneantur aliquando non acceptare accusationem, & acceptam absolvere ac impedire accusatorem, ne prosequatur?

SUMMARIUM.

63 Prælati aliquando potest imò & tenentur impedire accusationes pro bono pacis.  
64 Prælati aliquando potest impedire accusationes contra aliquem Religiosum.

63.

**P**rælati regulares, ut sunt Generales, & Provinciales in sua Provincia possunt, imò & sæpè tenentur non acceptare accusationem contra aliquos Religiosos, sed alia via debent procedere ad remedium, si credant, quod ex tali accusatione nascitura essent mala bono communi ordinis adversantia, utpotè seditiones, perturbationes inter Religiosos, eorumque etiam mala fama; nam bonum commune præferendum est bono particulari; Deinde si lex obligat ad acceptam accusationem per episcopiam, in his casibus videtur non obligare; quia pax ut commune bonum maxime intenditur ab omni Prælate. Ita ex Aragonio, Clavi Regia, Fagundes Card. Lugo *in iustitia, disput. 37. num. 74.* Unde referunt citati Lugo.

Aragoni. Clavi Reg. Fagundes. citati Lugo.

citati Auctores posse in Religione communi lege prohiberi, ne Prælati via accusationis procedant in visitationibus.

64. Ex quo etiam inferitur posse Prælatos ex justa causa accusationem ipsi factam contra aliquem religiosum absolvere, & etiam impedire accusatorem, ne ultra procedat. Ita bene colligitur ex Sanchez, lib. 6. consil. cap. 4. dub. 1. num. 6. Rodrig. tom. 2. quest. 7. art. 7. & Cajet. & Sotus citati à Sanchez, dummodo hoc fiat ex justa causa, & sine scandalo, & hoc procedit, sive injuria sit publica, sive privata, & damnum alia via possit restaurari, & probatur, quia si est supremus Princeps potest dispensare in lege, & stante justa causa, utpotè communi pace conventus: & si est inferior, & non sit facilis recursus ad Principem supremum ex episcopica, potest inferior ita agere, quia pax, & quietudo maximè interest ad bonum commune, ac reformationem Religionis. Ita Pellizarius tract. 9. cap. 4. num. 88.

QUESTIO XIX.

An accusator possit desistere ab accusatione incepta, si de Reo in particulari non constat?

SUMMARIUM.

65. Accusator potest desistere ab accusatione incepta.

65. Dico, quòd inchoata accusatione si de reo non constat, potest accusator desistere, vel ex charitate, vel ob petitionem alicujus, vel ad majorem pacem, & quietem habendam, quia si ad hoc non tenetur ex officio talis accusatio fuit libera: ergo licitè potest desistere ab illa; sicut & Prælati inchoatam accusationem non proseguunt; ut dixi superiori quest. At verò si ad hoc tenebatur ex officio, tenetur obligationem sui muneris adimplere, & accusationem proseguere Ita Card. Lugo de justitia, disp. 56. num. 9. Dixi nisi de reo constet, quia si de illo in particulari constat; & maximè si de delicto est infamia nata, bonum commune postulat, ne Reus maneat impunitus, ut alii timore pœnæ à similibus fugiant, & idèò accusatio proseguenda.

QUESTIO XX.

An subditus teneatur accusare, vel denuntiare, quando certò scit Prælatum, nullum remedium adhibiturum?

SUMMARIUM.

66. Nemo tenetur accusare si certò scit nullum remedium adhibendum esse à Prælato.

66. Respondeo, quòd quando subdito constat certò, & evidenter Prælatum nullum remedium adhibiturum, vel quia negligens, seu remissus est in puniendo, vel quia est amicus delinquentis; nullus obligatur ad accusandum; seu denuntiandum delicta; quia nemo tenetur ad actum frustraneum, & ad

opus inutile. Ita Cajetanus, Sylvester, Armilla, Tabiena, Durandus, Richardus, Paludan, quos citat, ac sequitur Sanchez lib. 6. Consilior. cap. 2. dub. 8. num. 2. Portel. in dub. Regul. verb. Correctio fraterna, num. 19. Lezana verb. Judex, nu. 7. Advertunt tamen citati Auctores, quod si detur dubium de hoc effectu, præsumendum est pro Prælato, & illi est obediendum. Ita Portel. & M. Lezana.

QUESTIO XXI.

Explicantur tria vitia, quæ contingere possunt in accusatione?

SUMMARIUM.

67. Calumnia, quando quis falsò, & dolosè accusat. 68. Prævaricatores colorant crimina. 69. Tergiversatores faciunt pactum de non accusando.

Tria vitia dati possunt in accusatione; Primum: calumnia. Secundum; prævaricatio. Tertium, tergiversatio: quæ breviter explico Primum; calumnia quando quis aliquem scienter, ac ex proposito accusat falsò, ac dolosè peccat mortaliter, & tenetur restitutione ad damnum; ut deciditur, cap. 2. de calumniatoribus, & cap. Si quem pœnituerit, 2. quest. 3. & expressè definitur, cap. Accusatio, 2. in fine, quest. 7.

Prævaricatores sunt, qui colorant crimen verum sceleratis hominibus, verbi gratia, vel exterius accusando, & secrete iniquos in suis criminibus fovendo, vel qui subterfunt gravia crimina, & levia inculcant, hi graviter peccant, & in laqueum diaboli incidunt.

Tergiversatores sunt, qui facientes pactum non proseguunt accusationem in grave damnum Reipublicæ, aut tertii; hi graviter delinquant, maximè si fiat cum grandi præjudicio tertii, & cum pernicioso mendacio, vel injusta munerum acceptatione Ita D. Thomas 2. 2. quest. 68. art. 3. Navar. Sotus, Bañez, Aragonius, quos citat, ac sequuntur Salon 2. 2. quest. 68. art. 4. Rodrig. tom. 2. quest. 7. art. 6. Miranda tom. 1. quest. 13. Hieronymus Rodriguez Resol. 41. art. 5.



RESOLUTIO VI.

Advocatus.

QUESTIO PRIMA.

Religiosi, interveniente licentia Prælati, & utilitate conventus possunt esse advocati, seu procuratores pro secularibus in judicio forensi civili.

SUMMARIUM.

1. Religiosi cum licentia Prælati munus procuratoris possunt agere, & n. 2.

3. Utraque

3. Utraque conditio simul requiritur. 4. In causis miserabilium personarum non requiritur utilitas conventus.

1. Religiosi non possunt exercere munus advocati, seu procuratoris in judicio forensi pro secularibus, nisi simul concurrat licentia prælati, & utilitas, saltem indirecta conventus, his conditionibus stantibus, tale munus ritè peragere possunt coram giudice seculari in causa civili, coram autem judge Ecclesiastico, etiam in causis criminalibus, ita habetur expressè, cap. Monach. 16. quest. 1. ubi dicitur: Nullus monachorum forensis negotii susceptor, vel executor existat, nisi quòd monasterii exposcit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante. Et quamvis textus loquatur de Monachis, ibi etiam comprehendit ceteros Religiosos, non tamen novitios, ut ex multis, & cum multis probat Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 13. num. 1. & 2. & alii communiter.

2. Si verò adversarius objiciat contra Religiosum procurantem in causa seculari licentia prælati, eum non esse admittendum, cum id non vertatur in conventus utilitatem, talis objectio non est audienda, cum ejus non sit inquirere monasterii utilitatem, & hæc sæpe expedit, ut occulta sit, ita ut adversarium lateat.

3. Et cum prædictus textus indistinctè loquatur, & utramque conditionem simul requirat, inde fit quòd una sine altera non sufficit, dispositio Textus firmiter hoc prohibet, & vetat, idèò utraque conditio est necessaria. Ita Pellizarius tom. 1. tract. 6. cap. 12. num. 12.

4. Advertit etiam Novarius in Lucerna Regular. verb. Procurator, num. 4. Quòd in causis miserabilium personarum, pro illis, scilicet, defendendis, ac patrocinandis bene possunt Religiosi de licentia sui Prælati, etiam si inde non habeatur aliqua conventus utilitas, procuratoris munus exercere, hoc enim maximè pertinet ad statum Ecclesiasticum tales personas præsidio destitutas tueri.

QUESTIO II.

An Officium procuratoris susceptum à Religioso sine licentia Prælati sit irritum, & quam necessaria sit hæc licentia pro omni causa?

SUMMARIUM.

5. Officium procuratoris sine licentia Prælati est invalidum, & n. 6. 7. Nec unam causam potest Religiosus patrocinari sine licentia prælati. 8. Si constitutiones non obstant, sufficit licentia Prælati immediati.

5. Ad primum; an officium procuratoris, seu advocati à Religioso susceptum absque Prælati licentia sit validum, ulliusque gratæ teneant; Affirmat Castro Palaus tract. 16. disp. 4. punct. 2. §. 4. num. 5. Tamen distinctio-

ne utendum est, si Prælati scit, & videt Religiosum tale officium exercere, videtur dare suum assensum, & valida sunt gesta, si Prælati ignorat, sine ejus licentia acta sunt nulla, Ita Pellizarius tract. 6. cap. 12. num. 17. Quia religiosus non habet personam legitimam standi in judicio pro se, nec pro alio; absque superioris licentia, quippe æquiparatur servo, cum quo processus est nullus. Et confirmatur, quia Clement. Religiosus, de Procuratoribus, utitur verbo: Non potest. Quòd reddit personam inhabilem, ut probat Sanchez lib. 6. de Matrim. disp. 38. num. 20.

6. Inde bene sequitur, quòd pars opposita, cuius interest, vel judex ex officio poterunt requirere à Religioso testimonium licentiæ, & si non habeat, poterit repelli, ut optimè probat Bellamerus cap. 2. n. 2. quest. 1. de postulando.

7. An autem hæc licentia Prælati, ita sit strictè necessaria, ut neque in una causa liceat regularibus patrocinari in judicio absque illa? Respondet affirmativè Castro Palaus citatus, §. 3. num. 6. quamvis aliqui aliud in contrarium dicant; nam cap. Monach. & citata Clement. de Procuratoribus, cujuslibet causæ patronium prohibetur; unde Religiosi contravenientes peccant mortaliter, cum prohibito de re gravi habeatur. Ita Sanchez in Decalog. cap. 13. num. 10. Pellizarius citatus, num. 13. Fr. Anton. ab Spita. sanct. in director. tom. 2. tract. 3. disp. 6. num. 1452.

8. Licentia autem sufficit, quòd sit prælati immediati, ut Prioris; in Societate Jesu hæc licentia solum potest esse à Generali, juxta suas Constitut. Franciscani autem, nec de licentia suorum superiorum, possunt esse procuratores, ut ex multis probat Sanchez citatus n. 11.

QUESTIO III.

An Religiosus de alterius mandato saltem possit constituere procuratorem, aut substituere sine sui proprii Prælati licentia?

SUMMARIUM.

9. Sine licentia Prælati non potest. 10. De alterius mandato cum licentia Prælati sine utilitate conventus poterit constituere. 11. De nuntius poterit de alterius mandato nominare.

9. Respondeo non posse, hoc enim ei prohibetur in Clement. Religiosus, de Procuratoribus. Et meritò sancenam licet à primo constituyente derivetur potestas substituti, non tamen potest ad alium transire, nisi mediante Religioso, qui sine licentia sui superioris talia facere non potest; ut optimè probat Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 13. num. 12. ex quo refert ipse Sanch. n. 15. Quòd talis substitutio non solum est illicita, sed etiam invalida; nam ad actum forensis nil valet Religiosus sine licentia Prælati.

10. Poteritne de alterius mandato cum licentia Prælati constituere procuratorem, etiam si non